

non potest l. *Pomponius* 9, ff. de *Negot. gest.* juncta reg. XXI, de *Reg. jur.* in 6. « Quod semel placuit, displicere amplius non potest. » Sic e contrario, quod semel quis reprobavit, aut impugnavit, pro suo commo et fructu approbare, adducere, et uti amplius nequit, l. *Dispensatorem*, 62, ff. de *Solut.*, quod juxta *Taccin.*, hic, n. 4, et alios Doctores ideo statutum censetur, ut inconstantia in judicio evitentur, et inconstantes saltem in tantum puniantur, quatenus fructum aliquem ex ea re, quam impugnant, non percipiant, quem alias percepissent, si illam rem non impugnant.

3. *Ponitur verus sensus regulæ. Quod quis juris in alterum statuit, eo et ipse uti debet.* — Resp. II. Verus sensus regulæ hic est: « Qui legem, rescriptum, instrumentum, attestationem, contractum, testamentum, vel aliam quamcunque demum dispositionem in judicio semel impugnavit, eam pro se et sua utilitate allegare, eave uti, et fructum aut commodum ex illa percipere non amplius potest. » Rationem assignat *Vivianus* hic; qua qui in judicio aliquid impugnat, hoc ipso illud pro injusto aut invalido, et pro tali habet, quod adversarius pro se, suaque intentione producere vel allegare, eave uti, et ex illa fructum vel commodum juste percipere non possit: quod dum impugnans facit, se ipsum in tantum jugulat, ut ex eadem re, quam impugnando pro injusta et invalida habet, ipse fructum aut commodum aliquod percipere non amplius valeat juxta æquissimum illud: « Quod quisque juris in alterum statuit, ipse uti debeat eo et sapientis dicat auctoritas, patere legem quam tu ipse tuleris. » c. *Cum omnes* 6, de *Constit.*, juncta l. 1, ff. « quod quisque juris in alterum statuerit, » etc., ubi etiam æquitas hujus dispositionis adducitur illis verbis. « Hoc edictum summam habet æquitatem; et sine cujusquam indignatione justa. Quis enim aspernabitur idem jus sibi dici, quod ipse aliis dixit, vel dici effecit. »

4. *Impugnans rem in judicio censetur renuntiare juri ex illo alias competentis.* — Et procedit regula etiamsi aliquis ex illo, quod in judicio impugnavit, fructum et commodum alias de jure percipere omnino potuisset; quia, uti cum aliis bene advertit *Vivianus*, juri, quod prius in re habuit, impugnando eandem, tacite renuntiasset censetur, textu satis claro c. *Olim.*, 19, de *Censibus*, ibi: « Licet enim ex forma secundæ compositionis deductiones aliquæ essent faciendæ; quia ta-

men compositionem idem *Abbas* nullatenus approbavit, sed statuit multipliciter impugnare, ex eo non debet beneficium consequi, cui renuntiasset tacite videbatur. » Ad id autem, cui quis semel renuntiavit, reditus de jure non amplius conceditur, l. *Si quis*, 11, C. de *Reb. credit.*, ibi: « Satis enim absurdum est redire, ad hoc, cui renuntiandum putavit. »

5. *Qui dicit decretales epistolas non esse authenticas, non potest illas pro se allegare.* — Declaratur et firmatur regula et sensus illius variis exemplis, et quidem imprimis de legibus; nam ut bene exemplificat *Glossa* hic: qui decretales epistolas, vel alias constitutiones, aut sanctiones apostolicas non esse authenticas asserit, nequit eas postmodum in sui favorem allegare, arg. can. *Si Romanorum*, dist. 19, ubi ii, qui decretalium auctoritatem temere negare audent, a *Nicolao* Papa reprehenduntur illis verbis: « Cum ipsi, ubi hæc suæ intentionis suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur, et solum tunc ad imminutionem Sedis apostolicæ potestatis, et ad suorum augmentum privilegiorum, minus accepta esse perhibeant. » Concordat can. 1, dist. 8, et c. *Quia frustra*, 14, de *Usur.*, ibi: « Frustra legis auxilium implorat, qui committit in legem; » sive non est dignus legis auxilio, qui facit contra legem.

6. *Testamentum tanquam falsum, aut inofficiosum impugnans nil percipit ex illo. Secus est, si illud ut minus solemne impugnat.* — Dein in testamentis: qui enim testamentum tanquam falsum aut inofficiosum impugnat, et succumbit, ex tali sic impugnato testamento non tantum nihil recipit, sed etiam quod jam accepit, eidem iterum aufertur, et fisco appropriatur, l. *Popinianus* 8, § 14, ff. de *Inoffic. testam.* ibi: « Meminisse autem oportebit eum, qui testamentum inofficiosum improbe dixit, et non obtinuit, id, quod in testamento accepit, perdere, et fisco vindicari quasi indigno oblatum; » eo quod sic impugnando testamentum, juri ex illo alias competentis tacite renuntiasset censeatur. cit. c. *Olim. de Censibus*. Secus foret, si quis testamentum non ut falsum vel inofficiosum, sed ut carens debitis solemnitatibus, sequere de jure non subsistens impugnaret; talis enim legata in illo pro se facta non amitteret, prout clare statutum habetur cit. l. *Papinianus*, § 14, et l. *Post legatum* 5, § 1, ff. de *His quæ ut indig.*, juncta l. *Si testamentum* 24,

ff. eod. Rationem disparitatis affert *Dyn.* hic, n. 3 et 4, quia qui testamentum ut falsum impugnat, non solum institutionem hæredis, sed etiam legata impugnat, consequenter hæc ex illo percipere non potest: Non sic qui illud impugnat ut minus solemne; cum corrumpente testamento ob defectum solemnitatis nonnunquam valeant adhuc legata saltem ad causas pias per dicta lib. III, lit. XXVI, de *Testam.*, n. 164. Item, qui testamentum tanquam inofficiosum impugnat, censetur dicere, quod testator quasi non sanæ mentis fuerit l. 2, ff. de *Inoffic. testam.* ibi: « Hoc colore inofficioso testamento agitur; quasi non sanæ mentis fuerint, qui testamenta ordinarent. » Consequenter sicut ad instituendum hæredem, sic etiam ad condenda legata inhabiles fuerint. *Dynus*, loc. cit.

7. *Impugnans instrumentum vel testem nequit illum pro se allegare.* — Procedit ulterius in instrumentis, ut qui aliquid impugnat, illud in favorem allegare non amplius possit cir. c. *Cum olim. de Censib.* Idem est de impugnante testem: item de impugnante contractum tanquam invalidum.

8. *Fallit regula primo quando quis ante sententiam definitivam impugnare desistit. Pœnitentes digni sunt venia.* — Quæritur II. An et in quibus regula XXXVIII, fallat? Eam fallere in sequentibus, et quidem primo, quando quis impugnationem rei usque ad sententiam definitivam non continuat, sed ante hanc ab illa voluntate desistit. *Glossa* hic communiter recepta textu expresso l. *Papinianus*, § 14 ibi: « Ei demum aufertur, quod testamento datum est, qui usque ad sententiam judicum lite improba perseveraverit. Cæterum si ante sententiam destitit, non ei aufertur, quod datum est, » juncta l. *Aha* 8, C. de *His quibus ut indig.* cum pœnitenti, et errorem agnoscenti venia non sit neganda, can. *Quanto* 8 cau. 2, q. 4, ibi: « Quia sicut in pertinacia persistentibus se veros non esse convenit, sic iterum humilitatis et pœnitentibus negare locum veniæ non debemus. »

9. *Fallit secundo, quando quis alieno nomine ex officio impugnat.* — Fallit secundo, si quis non suo, sed alieno nomine et ex officio, sicque non plene libere, sed quasi necessario impugnat, uti tutor et curator nomine pupilli vel minoris; talis enim etiam ex illo, quod impugnat, fructum pro se consequi, consequenter ex testamento v. g. sic impugnato, legata in illo sibi facta percipere valet.

*Gloss.* cit. cum communi aliorum, textu claro l. *Adversus* 38, ff. de *Inoffic. testam.* ibi: « Tutoribus, pupilli nomine, sine periculo ejus, quod testamento datum est, agere posse de inofficioso testamento, divi Severus et Antoninus rescripserunt. » Concordat, l. *Cum quedam* 26, C. de *Administ. tut.* « Cum non deceat alicui officium suum esse damnosum. » C. *Cum non deceat*, 30, pr. de *Elect.* in 6, et « ne dispendium patiat, qui videtur præmium meruisse, c. *Pervenit* 2, de *Fidejuss.* »

10. *Fallit tertio quando non est eadem materia.* — Fallit tertio, ubi non est eadem materia, vel capitulum (ut *Glossa* ait hic) quod quis impugnat cum illo, ex quo etiam post impugnationem fructum consequi nititur. Nam licet quis sententiam ex uno capite impugnet, adhuc ex alio capite fructum percipere valet, arg. c. « Utile non debet per inutile vitiari, » 37, de *Reg. jur.* in 6, juncto c. *Raynutius*, 16, et c. *Raynaldus* 18, de *Testam.* ubi sententia judicis inferioris, a qua partes ambæ, quatenus contra se fuerat, appellaverant ad Papam, ex una parte confirmatur a Papa, sicque profuit impugnanti.

11. *Et quarto respectu tertii.* — Fallit denique quarto, respectu tertii, ita ut licet quis ex eo, quod contra certum aliquem impugnavit, contra eundem fructum percipere, vel eadem re impugnata fructuose uti non valeat; tamen eadem re impugnata, et jure exinde sibi competente contra tertium frui omnino possit. *Pech.* hic, n. 5, eo quod regulariter aliis non noceat res inter alios judicata, c. *Quamvis* 25, de *Sentent. et re judic.* cum concordant.

## REGULA XXXIX.

CUM QUID PROHIBETUR, PROHIBENTUR OMNIA,  
QUÆ SEQUUNTUR EX ILLO.

1. *Ponuntur concordantiæ cum regula.* — Cum hac regula concordare videntur reg. XLII, de *Reg. jur.* in 6, ibi: « Accessorium naturam sequi congruit principalis; » sicut illud commune; connexorum eadem est ratio: sive, quod de uno connexorum statuitur, ad alia quoque connexa extendi debet, c. *Translato*, 3, de *Constitut.* juncta *Glossa* ibidem.

2. *Subsequentia ex prohibito, non item media ad illud, censentur prohibita.* — Addit *Vivianus* hic, cum regula concordare etiam illud, quod pro quasi regula habetur l. *Ora-*

tio 16, ff. de Sponsal. juncto summario ibidem. « Cum aliquid prohibetur, videtur etiam esse omne, illud prohibitum, per quod pervenitur ad illud. » Verum displicet hæc concordantia Dyno hic, nu. 1. Strem., nu. 4, ac aliis. Et merito, quia per nostram regulam prohibentur consequentia ex principali prohibito; per textum l. *Oratio* autem prohibentur solum media ad consequendum prohibitum, uti consideranti patet.

3. *Alia simpliciter tantum; alia etiam sub nullitate prohibentur. Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint roboris obtinent firmitatem.* — Quæritur I. Quomodo regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem notandum, in jure subinde aliqua tanquam minus honesta, minusque licita simpliciter tantum prohiberi, non autem simul annullari, seu non prohiberi sub nullitate; de quibus verificatur illud. c. *Ad apostolicam* 16, de *Regular.* « Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem, » prout res se habet in matrimonio v. g. utpote quod sine denuntiacionibus præviis, aut certis temporibus fieri prohibetur quidem, et tamen si absque illis, et tempore prohibito celebratur, validum existit juxta dicta lib. IV, tit. III, de *Clandestin. despons.* n. 15. Aliqua vero non tantum simpliciter prohiberi, sed etiam simul annullari, seu sub nullitate inhiberi: cujusmodi sunt matrimonia cum impedimento dirimente contracta; quia non tantum simpliciter, sed etiam sub nullitate prohibentur, indeque non solum illicita, sed etiam invalida sunt, juxta dicta lib. IV, tit. I, de *Spons. et matrim.* § 9. Hoc notato

4. *Regula implicate duas habet partes; ponitur verus utriusque sensus. Connexorum eadem est ratio.* — Resp. Hæc regula non tantum de iis, quæ simpliciter, sed etiam de illis, quæ sub nullitate prohibentur, intelligenda est: ut proin duas implicate contineat partes, et quævis in suo, sicque ambæ sub diverso sensu intelligendæ veniant. Et quidem genuinus ac verus regulæ sensus quoad primam partem de simpliciter tantum prohibitis sequens est: « Quando aliquid simpliciter duntaxat tanquam minus honestum, minusve licitum absque nullitate prohibetur, simpliciter prohibita quoque, sicque illicita, non item invalida censentur omnia ea, quæ ex principali prohibito propter necessariam connexionem et dependentiam ordinarie sequuntur, saltem si eadem de his, uti de

illo militat ratio. » Quoad secundam vero partem verus regulæ sensus hic est: « Quando aliquid non tantum simpliciter ut illicitum, sed etiam sub nullitate, seu per legem annullantem prohibetur, similiter prohibita, sicque illicita simul et invalida censentur, quæ ob necessariam connexionem et dependentiam ex principali prohibito sequuntur. » Taccin. hic, n. 2. Ratio utriusque partis ex mutua connexionem et dependentiam desumitur; connexorum enim eadem est ratio; sive quod de uno connexorum statuitur, ad alia quoque connexa extenditur juxta dicta n. 1, arg. c. *Translato*, 3, de *Constitut.* Et quæ ex aliquo sequuntur, accessoria illius sunt: « Accessorium autem naturam sequi congruit principalis » juxta pariter jam citatam regulam XLII, jur. in 6.

5. *Declaratur regula exemplis. De jure non licet in Quadragesima comedere lacticia.* — Declaratur prima regulæ per amplius, et firmatur exemplis per Glossam adductis: sic enim ex eo, quod prohibitum sit in Quadragesima comedere carnes, prohibita etiam censentur omnia, quæ ex sementina trahunt originem carnis, lac videlicet, ova, caseus, etc. can. *Denique* 6, dist. 4, ibi: « Par autem est, ut quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, a lacte videlicet, caseo et ovis; » intellige, nisi alicubi legitime præscripta habeatur consuetudo, uti in Germania, ubi vi consuetudinis lacticia licite comeduntur, licet in plurimis aliis catholicis regnis ac provinciis dicta prohibitio stricte observetur, indeque regula in illis locum habeat.

6. *Prohibitione concupiscentiæ prohibentur omnia mala.* — Sic pariter, dum concupiscentia prohibetur, prohibentur omnia mala inde oriunda c. *Nam*, 4, de *Constit.* ibi: « Hoc enim elegit Apostolus generale, unde omnia mala oriuntur; bona est ergo lex, quæ dum hoc prohibet, omnia prohibet. » Sic etiam dum prohibetur mœchia, prohibitus censetur omnis illicitus concubitus can. *Meretrices*, 11, cau. 32, q. 4, ibi: « Profecto nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi. »

7. *Prohibita alienatione prohibetur omnis species et subsequencia.* — Secunda pars regulæ, quæ præter rationem et jura allegata specialiter etiam in illo claro juris textu n. 9, adducendo firmatur l. *Non dubium*, 5. C. de

*Legibus*, declaratur etiam exemplis: sic enim quia alienatio rerum ecclesiasticarum sine debita solemnitate non tantum simpliciter, sed etiam sub nullitate est prohibita per dicta lib. III, tit. XIII, de *Rebus eccles. alien.* quævis etiam donatio, venditio, et similia sub nullitate censentur prohibita una cum connexis et subsequentibus ex illis, qualia sunt traditio, dominium, Dynus hic, n. 4, addens, prælatum vel œconomum propterea admitti ad vindicationem rei alienatæ. l. *Jubemus*, 4, C. de *Sacros. eccles.*

8. *Existente nullo matrimonio nulla etiam jura ex eo sequentia.* — Sic ulterius, quia matrimonium cum dirimente impedimento contrahere, lege annullante et irritante, prohibetur, ut nulla etiam censetur prohibita alias consequentia ex matrimonio, v. g. jus petendi debitum conjugale, jus percipiendi fructus dotis, jus agendi uxorio nomine, etc., sicut insuper, quia sub nullitate etiam in matrimonio legitimo prohibita est venditio fundi dotalis. l. *Rem in present.* § *Et cum lea*, 15. C. de *Rei uxor. act.* etiam traditio et dominium, quæ alias ex venditione sequuntur, nulla sunt. Dyn. hic, n. 4. Instit. « Quibus modis alien. licet. »

9. *Omnes contractus civiles prohibiti etiam ipso jure sunt nulli.* — Sic universaliter omnia ex contractibus sub nullitate prohibitis subsequentia, nulla quoque et irrita sunt. Ubi specialissime notandum, omnes et singulos contractus civiles, qui jure civili simpliciter tantum prohibentur, censeri etiam sub nullitate prohibita, et si annullatio et irritatio contractus expresse non addatur, textu claro, et per extensum relatu certe digno. l. *Non dubium*, 5. C. de *Legibus*. ibi: « Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus secutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente: quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres, quam novellas trahi generaliter imperamus; ut legislatori, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat, cæteraque quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere, hoc est, ut ea, quæ lege fieri prohibentur, si facta fuerint, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est: sed et si quid fuerit subsecutum ex eo, vel ob id, quod interdicens lege, factum est, illud quoque cassum, atque inutile esse præcipimus. »

Ex quo inferitur, in contractibus civilibus nunquam verificari illud juri canonico insertum, c. *Ad apostolicam*, 16, de *Regular.* « Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem. » Quod bene notandum.

10. *Fundus dotalis vendi non potest.* — Nec valet objicere l. *Penult.* ff. de *Fund. dotal.* ubi licet alias prohibita habeatur et nulla sit venditio fundi dotalis: facta tamen traditione, dominium transfertur; quod idem dicitur l. *Cum vir prædium*, 42. ff. de *Usucap.* ergo subsecuta ex prohibito et nullo valent. Resp. enim, præsentis leges, uti legenti patet, loqui de valore domini soluto matrimonio, ubi fundus dotalis non amplius habet rationem dotis, sed ex hæreditate vel alio titulo evadit propria mariti: prout etiam res se habet in venditione rei furtivæ, si fur fit hæres domini. cit. l. *Cum vir prædium*. ibi: « Cum vir prædium vendidit scienti, vel ignoranti, rem dotis esse, venditio non valet: quam defuncta postea muliere confirmari convenit, si tota dos lucro mariti cessit; Idem juris est, cum is, qui rem furtivam vendidit, postea domino hæres extitit. »

11. *Ex contractu prohibito nulla est etiam translatio domini.* — Neque obstat l. *Et eleganter*, 7, ff. de *Dolo malo* ubi habetur, quod ex contractu prohibito fieri possit translatio domini. Resp. enim cum Baldo apud Peck. hic, translationem domini non fieri ex vi contractus prohibiti, tanquam ex causa immediata ac principali, sed ex voluntate domini tradentis, qui etiam ex contractu in sui favorem invalido ultro potest transferre dominium rei suæ in alterum.

12. *Quando aliquid conceditur, conceduntur omnia, quæ spectant ad illud.* — Cæterum bene ad propositum regulæ nostræ: « Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo: » Subjungit Barb. aliam regulam e contra veram: « Quando aliquid conceditur, conceduntur omnia, » quæ spectant ad illud. l. 2, ff. de *Jurisdic.* ibi: « Cui Jurisdictio data est, eo quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potest. » et c. *Præterea*, 5, de *Offic. deleg.* ubi dicitur, quod facta alicui delegatione causæ, censeatur eidem etiam concessa potestas citandi et condemnandi contumacem, Ratio apponitur ibi: « Quia ex eo, quod causa sibi committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem. »

## REGULA XL.

PLURALIS LOCUTIO, DUORUM NUMERO EST CONTENTA.

1. *Regula unde desumpta?* — Desumitur hæc ex l. *Ubi numerus*, ff. *de Testib.* ibi : « Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt, pluralis enim locutio duorum numero est contenta. » et can. *Si testes*, 3, cau. 4, q. 3, ubi eadem referuntur verba.

2. *Duo faciunt numerum pluralem.* — Queritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Per hanc regulam a plurali numero non excludi majorem duobus numerum, sed illud duntaxat indicari, quod sit absque determinatione numeri *plura* ad contractum aliquem, vel quid aliud requiruntur, aut *plura* indistincte conceduntur, donantur, permittuntur, aut in dispositione aliqua *pluries* dicatur, numerus duorum sufficiat, nisi jura majorem numerum ad rem, de qua agitur, expresse requirant. Hinc.

3. *Verus regulæ sensus.* — Resp. II. Verus regulæ sensus hic est : « Quandocumque in lege statuto, rescripto, instrumento, vel quacumque alia dispositione terminus pluralis, plures, plura, pluries, etc. indistincte ponitur, requiritur, et sufficit numerus dualis, seu duorum, nisi majorem numerum jura expresse requirant. » Rationem bene assignat Vivianus hic, quia exclusio unius est inclusio alterius. arg. l. *Cum prætor*, 12, ff. *de Judiciis*. Hinc quoniam numerus singularis non salvatur, nisi in uno, Glossa hic : et in can. *Sufficit de Consecrat.* dist. 1, ideo si plures uno, uti sunt duo, adsint, hi numerum pluralem efficiunt, qui tamen saltem duo ad talem numerum pluralem requiruntur. can. *Hoc quoque*, 61, dist. 1, *de Consecrat.*

4. *Ordinarie fere in cunctis duo testes sufficiunt.* — Declaratur regula exemplis : sic in primis universaliter, ubi ad valorem actus cujuscumque plures testes indistincte requiruntur, sufficiunt duo, textu claro cit. l. *Ubi numerus*, 12, ff. *de Testib.* et can. *Si testes*, 3, cau. 4, q. 3, prout etiam Glossa hic observat, ad causas et instrumenta regulariter sufficere duos testes, semper subaudi, nisi aliter in jure expresse disponatur.

5. *Dispensatus ad plura beneficia non nisi duo obtinere potest.* — Sic in specie, si Papa cum aliquo dispensat, quod possit habere « plura beneficia, » et aliud non exprimit,

ista pluralitas non nisi duobus beneficiis, et quidem non curatis intelligi debet. c. *Is, cui*, 19, *de Præbend.* in 6; tum quia ista pluralitas in duobus verificatur : tum quia hæc dispensatio tanquam juri contraria est odiosa, consequenter restringenda per Reg. « Odia restringi » et c. 15, *de Reg. jur.* in 6 : præsertim cum alias. *In obscuris minimum sit sequendum.* c. *In obscuris*, 30, *de Reg. jur.*

6. *Verba in diebus, vel annis verificantur in duobus.* — Sic ulterius si testator in suo testamento disponat, ut in diebus aliquid certum fiat, intra biduum impleri debet, textu expresso l. *Inter illam*, 217, ff. *de Verb. sign.* ibi : « Item ita data conditione : illud facito in diebus : si nil præterea fuisset adjectum, in biduo conditionem impleri oportet. » Sicut etiam, si servo legatur libertas post annos, de duobus intelligi debet. l. *Libertas*, 17, § 3, ff. *de Manumiss. testam.* Ratio utriusque est, quia tam dierum, quam annorum pluralis indistincta expressio duarum numero verificatur per jura citata.

7. *Juspatronatus duabus præsentationibus probatur.* — Sic rursus ordinationi concilii Tridentini, sess. 25, *de Reform.* cap. ix, quod probatio juspatronatus « ex multiplicatis præsentationibus fieri debeat, » satisficit allegando, et probando duas. Barb. *de Offic. et potest. episc.* p. 3, alleg. 72, n. 4.

8. *Legatum pauperibus factum in duobus salvatur.* — Item si legatur certa pecuniæ quantitas pauperibus distribuenda, satisfacere executores, si eam quantitatem totam duobus tantum pauperibus distribuatur, ex Regula nostra docet Taccin. *hic*, n. 8; Diana, p. 10, tract. 11, resolut. 19.

9. *Numerus pluralis uno duntaxat non salvatur. Olim non nisi coram duobus saltem præsentibus Missa celebrari poterat.* — Dicitur notanter in Regula : « Duorum numerus requiritur et sufficit ; » quia ad verificationem termini numerum pluralem significantis, sicut duo sufficiunt, sic etiam saltem duo necessario exiguntur, ita, ut in uno solo numerus pluralis non salvetur juxta communem doctorum can. *Hoc quoque*, 61, dist. 1, *de Consecrat.* ubi propterea ab antiquo prohibitum perhibet, coram uno solo Missam celebrare ; cum in tali verificari non videantur verba Missæ pluralem numerum indicantia : *Dominus vobiscum*, et *Orate, fratres*. Verba præfati can. sic sonant : « Hoc quoque statutum est, ut nullus presbyterorum Missarum solemniter celebrare præsumat, nisi duo-

bus præsentibus, sibi que respondentibus ipse tertius habeatur ; quia, cum pluraliter ab eo dicitur, *Dominus vobiscum*, et illud in secreto, *Orate pro me*, aptissime convenit, ut ipsius respondeatur salutationi. » Quod tamen statutum hodie non amplius servatur : quia pluralis locutio sacerdotis ad totam Ecclesiam, omnes Christi fideles complectentem, dirigi censetur, cujus nomine unus ministrans sufficienter respondere videtur.

10. *Verbum liberi etiam in una prole verificatur.* — Cæterum præfata doctrinæ non obest communiter objici solita l. *Non est*, 148, ff. *de Verb. signif.* vi cujus terminus pluralis, *liberi*, unica prole verificatur, ibi : « Non est sine liberis, cui vel unus filius, unaque filia est. » Non obstat, inquam, quia terminus *liberi* caret singulari, et ideo semper in plurali profertur, prout lex ipsa afferendo rationem satis declarat statim subjungens : « Hæc enim enuntiatio, » habet liberos, non habet liberos, « semper plurativo numero profertur. »

11. *Cur principes et prælati utantur verbo Nos?* — Pariter non obstat loquendi modus principibus, et prælatis consuetus, quo una persona plurali numero exprimitur, *Nos, Noster, Nostra, Vos, Vester*, etc., quia per verba hæc majestatem, auctoritatem et dignitatem, qua pluribus æquivalere, ac propterea majori respectu, reverentia ac honore digni esse censentur, aliis indicare, indeque juxta antiquam consuetudinem quivis suam personam ipsemet in plurali exprimere, et ab aliis pari modo appellari volunt.

12. *Fallit Regula, quando jura, ad verificandum numerum, plura quam duo expresse requirunt.* — Queritur II. An etiam et in quibus fallat Regula? Resp. Eam universaliter fallere primo in iis, in quibus ex speciali dispositione legis ad verificandam pluralitatem, indistincte positam, major, quam dualis, numerus requiritur : prout fit per l. 1, ff. *de Optione et electione leg.* ubi « Divus Pius Cæcilio Proculo rescripsit, eum, cui indistincte servorum legata est electio, tres posse eligere : » consequenter locutionem pluralem numero duorum non esse contentam.

13. *Fallit universaliter secundo quando leges ad valorem actus certum numerum duobus majorem requirunt, uti ad codicillum 5, ad testamentum 7, requiruntur testes per dicta lib. III, tit. 26, de Testamentis.*

14. *Fallit e contra tertio, et ad veri-*

ficandam pluritatem positam sufficit etiam unum, quando leges ita volunt et declarant, uti fit in termino *liberi*, juxta dicta n. 9, et in casu, quod plures servi legantur, ac interea usque ad unum distrabuntur, salvatur adhuc legatum pluraliter factum in unico superstite, l. *Falsa*, 33, ff. *de Condition. et Demonstrat.* ibi : « Si quis ita scripserit, *Stychem et Pamphilium Titio do, lego, si mei erunt, cum moriar, et unum ex his alienaverit, an vel alter a legatario possit vindicari?* Placet vindicari : nam hunc sermonem, licet pluralis sit, pro eo oportet accipi, atque si separatim dixisset ; *Stychem*, si meus erit, si moriar. »

## REGULA XLI.

IMPUTARI NON DEBET EI, PER QUEM NON STAT, SI NON FACIAT, QUOD PER EUM FUERAT FACIENDUM.

1. *Regula unde desumpta?* — Regula desumitur ex c. *Quia diversitatem*, 3, *Concess. præbend.* et concordant reg. 6, *de Reg. jur.* in 6 : « Nemo potest ad impossibile obligari » et reg. 66, eod. : « Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset. »

2. *Ponitur verus sensus regulæ. Nemo puniri, aut jure suo privari debet sine culpa.* — Queritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, quis finis illius, et verus ejusdem sensus sit? Resp. finem hujus regulæ esse, quemvis salvare a pœna, et damno in casu, quo legitime impeditus non fecit, quod alias facere debuisset ; ut proin verus illius sensus sit sequens : « Qui legitime impeditus non facit, quod alias facere deberet, propterea nec pœnam, nec damnum sentire debet. » Ratio est, tum quia juxta jam dicta : « Nemo potest ad impossibile obligari » : cit. reg. 6, *Nemo* ; tum quia sine culpa nemo debet puniri, nec jure suo privari, vel damno affici arg. c. *Sine culpa*, 23, h. f. in 6.

3. *Impedimentum debet probari.* — Quoniam vero impedimentum in facto consistit, facere debitum omittens, probare debet faciendi impedimentum, simulque docere, a se sufficientem adhibitam fuisse diligentiam, qua tolleretur impedimentum : nisi aliunde satis constet Menoch. *de Arbitr.* lib. II, cent. 2, casu 118 ; Strein. *hic*, n. 2, ubi inter alia etiam sequentia adducit impedimenta, veluti gravem morbum, captivitatem, aeris infec-